



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Sacratissimorum Jesu [Iesu] Christi Vulnerum

Wael Van Vronesteyn, Willem de

Antverpiæ, 1649

Domicilium animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)

qui illam compellans : Vide , inquit filia , quàm graviter me afficiat sociarum tuarum levitas , in quam te insinuas. Monet illa matrem , & cum ea ac sororibus domum se recipit ; ac deinde mundo valedicens , eas elegit focias , apud quas Salvatori supplicia sua , ac vulnera renovatura non esset. Quando tandem anima mea , patieris , & tu te trahi suavi illo magnete venerandorum Domini vulnerum , dissolvens ferreæ voluntatis tuæ catenas , quibus in molestissimo affectionum tuarum carcere captiva jam nimum diu detineris ?

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Christi

Domicilium animarum.

Salvator noster, in sermone illo af-10.13. v. 30 affectus divini plenissimo, post cœnam ultimam habito, significavit Apostolis

Q 5

stolis

stolis abire se, ut illis locum pararet. Et sanè in terris gratiorem nullum parare poterat, quàm sacri lateris, sacrorum-que vulnerum suorum domicilium.

*Tract. 120.
in Ioan.*

Rectè, & subtiliter more suo D. Augustinus, cum ait, non dicere Evangelistam, militem lanceâ percussisse, aut transfixisse latus Domini, sed illud aperuisse, ut in vulneris latitudine intelligeremus ostium nobis apertum esse, per quod in superbenedictum cor

Mat. 23.

eius penetraremus; quod ipse Augustinus facit, cum ita ait: *Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi. Hic fidenter habito, hic me jucundè reficio, hic quiesco securus.* Hunc D. Augustini suavissimum affectum etiam ipse Salvator comprobavit. Nam cum vir quidam pius magno illum zelo oraret, ut homines omnes in divinum suum latus, veluti in tutissimum, ac suavissimum domicilium admitteret, illud amplum adeò ac spatiosum illi Christus ostendit, ut nulli non recipiendo sufficeret.

*Auctor quadrige vir-
tutum.*

Cui ostento D. Augustinus aptandus mihi erit qui vult, venire omnes, intrare

re

re omnes, cum sit quâ, & quo possimus intrare in
 patens scilicet latus Domini. Contendite, ait Sal-
 vator, intrare per angustam portam. Bona
 Domini mei veniâ, dicam ego, conten-
 dite intrare per angustâ portam. Quid
 enim angustius portâ illâ, quæ aurea
 est Iubilæi, ac remissionis, omniumque
 gratiarum, quam unus militum, percutiendo *Aug. ibid.*
 latus Crucifixi, aperuit. Hæc porta Domini, justi
 intrabunt in eam, intrabunt & iniusti, hi
 ut justificentur, illi ut sanctificentur
 magis: Ad hanc portam, ad hoc domi-
 cilium invitat nos ille, qui olim appo-
 sitè cecinit.

Aspicias ut pateant, & se tibi vulnera *Sidron. de*
pandant? *Hoffche in*

Præcipue quod sub pectore vulnus hiat: *eleg. de vul.*

Fixit in hoc sedem, & solium regale lo- *Dom.*
cavit,

Hic aulam voluit Rex Amor esse
suam.

Hic sedet, & valvis quemvis admittit
apertis.

Noctes atque dies omnibus aula patet.

Quò veniunt plures, plures agit ille
triumphos

Nec,

*Nec, nisi non omnes velle venire,
dolet.*

*Hic ego sim felix, hac degam & latus
in aula.*

Pulchra sit hæc oculis Regia sola meis.

Regum, Principumque Majestas, & potentia splendida molitur substru-
 ctiones. Chinarum Regis palatium
Majol. l. 23 septuaginta novem aulas numerat, in-
ter. Cani. ter quas quatuor ornatissimæ, atque o-
 pulentissimæ sunt ære, argento; auro,
 gemmisque, insigni arte elaboratæ.
 Monarchis hisce libentes, volentesque
 palatia sua cedemus, cum vulnera Do-
 mini sacratissima, ejusque cor tam a-
 mabile nobis pateant: Nam ut more
Marg. Sp. suo piissimè Abbas Blosius; *Apertum est*
19. *Christi latus, ut nobis accessum aditumque*
pius Iesus ad cor suum patefaceret. Unde de-
claravit suum erga nos incomprehensibilem
amorem. Et quid ultra nobis potuit facere,
quam fecit? Ipsum cor suum, tanquam secre-
tissimum cubiculum, nobis reseravit; sunt
namque deliciae ejus esse nobiscum, & in si-
lenti tranquillitate, & tranquillo silentio vo-
luit apud nos quiescere. Dedit nobis cor suum
 dirè

dirè vulneratum, ut in eo commoraremur, donec penitus expurgati, & mundati, suoque cordi conformes, idonei, ac digni simus, unà cum ipso, in æterni Patris cor abduci. Nobis præbet cor suum, ceu lectulum purpurei sanguinis sui rubentibus rosis adornatum; reposcitq; cor nostrum, ceu lectulum candidis mundorum operum condecoratum liliis. Hætenus Blossius, quo quid possit in hoc argumento dici suavius?

Disce habitare in hoc vulnere lateris, ait Ioannes Lanspergius, ex S. Brunonis ^{Serm. 54.} familia vir doctus ac Religiosus. ^{Si de pass.} Si enim amica est, aut sponsa anima tua, ubi ^{Dom.} suavior illi quies erit, quàm in hoc sponsi sui vulnere? Si columba es, ibi locus est tibi ad nidificandum, & fœtus tuos producendos, fovendos, atque alendos. Si passer esse decreveristi (in annuo scilicet tuo recessu, ut ab auctore tantillum discedens, more nostro loquar) nusquam tibi magis conveniens erit locus, ut abstractam, & solitariam (octiduanam scilicet illam) vitam agas, quàm in corde Christi. Si turtur es, & castis, varijsque gemitibus ad Deum suspiras, hic locus requietionis, & consolationis erit. Hic esuriens,

mama.

mannâ invenies, quod edas: sitiens, hâc fontem salutis invenies, ubi bibas: hâc enim est fons paradisi & à paradisi medio egrediens, & in fidelium se corda diffundens. Est hic ostium Arcae, per quod intrant non perituri diluvio.

Hoc cordis, hoc sacrorum Christi vulnerum domicilium incolebat Sanctus Comes Elzearius, qui à Delphina conjuge rogatus, ubinam, quidve ageret? agere se aiebat, in vulneribus Salvatoris, atque in illis lætè vivere, neque in terris aliud se domicilium quærere. Idem sensus fuit, eademque pietas Mariæ Claudix de Pontaliers, Burgundæ, è Cœlestinarum familia; quæ inde harum Coloniam Insulas, & Tornacum deduxit. Rogata enim, an ex Burgundia ab amicis, & notis discedens nihil mœroris passa esset? respondit; ex quo sacrum Domini Iesu latus elegisset in domicilium, in illo se Burgundiam, amicos, & notos reperisse, tantumque simul solatij, ut neque ad spatium, quo percurreretur psalmus *Miserere*, fuerit subtristior.

Intuere, inquit Bernardus, *in manibus*
ejus

*In Elog. vi-
ta manus.*

Sur, in vita

ejus fixuras clavorum, nec solum cum Thoma Apostolo mitte manū tuam in latus ejus, ^{Bern. de perfect. c. 7.} sed per latus ingredi ad cor ejus, velut ad domicilium tuum, ubi clavus amoris affixus, & lancea charitatis transverberatus, nihil aliud desideres quàm in cruce mori cum Christo, ut cum Paulo exclames, Christo confixus sum cruei, vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.

D. Bonaventura S. R. E. Cardinalis non palatium aliud; religiosissimus verò Ordinis sui Generalis non cellam aliam præter sacratissima Domini vulnera optabat. O, inquit, quàm beata lancea, quæ aperturam hujusmodi facere meruit! ^{Stim. p. I. c. 1.} O si fuisssem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem: Hæc requies ^{Ps. 131. v. 14.} mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam. Et iterum; O amantissima vulnera Domini nostri Iesu Christi! ^{vbi sup.} Cum in illa, quodam die, oculis subintrarem apertis, ipsi oculi sanguine sunt repleti, sicq; nihil aliud videns, cæpi ingredi manu palpans, donec pervenirem ad interna viscera charitatis Iesu, quibus undique circumplexus redire nescivi; ideoque ibi inhabito, & quibus vescitur cibus, vescor, & potu illius inebrior. Ibi tantâ abundo

do dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. Et qui prius fuerat novem mensibus pro peccatoribus, in utero virginali, mirè dignatur me servum suum intra vulnera sua, totâ vitâ meâ conservare. O cecitas filiorum Adam! qui per hac vulnera in Christum nesciunt intrare, in quibus non anima solùm, sed & corpus pia solatia reperit. Experientiam cape, ô homo, & cognosces me verum tibi dicere, & quod optimum est, suadere. Hactenus Bonaventura; Cujus tam pio erga sacra sua vulnera affectui, dulcissimam Dominus vicem reposuit. Ad mortem enim æger vir sanctissimus, cum ob stomachi debilitatem, sacro Christi corpore refici non posset, petiit in pyxide illud pectori suo imponi: vix pyxis erat imposita, cum ecce illi latus rosæ instar aperitur, ac sacra hostia è pyxide egressa in illud, divino motu ingreditur, ut benignissimus Dominus amabili morientis Bonaventuræ cordi jungeretur, qui vivens cordi ejusdem amabilissimo semper junctus fuerat. Elige anima mea, & tu hoc domicilium, quia nusquam majori cum securitate, atque solatio

Luc. Wad.
t. 2. an.
Chr. Min.
an. 1274.
p. 17.

solatio habitabis. Simul audi Bonaventuram, si illud facere neglexeris, non sibi, sed tibi ita ingemiscentem: *Heu mihi! quare natus sum, nisi Dominum meum Iesum in cruce complectar, & in sacris ejus vulneribus requievero?* ^{P. I. sim. c. 15.}

CONSIDERATIO V.

*Vulnera Christi**Testes amoris.*

Quid? adhuc egemus testibus? An non testatum satis in Bethleem, in stabulo, in deserto, in horto Gethsemani, in palatiis Caiphæ, Pilati, Herodis, in monte Calvariæ, in cruce ipsa ab optimo Salvatore amatos nos fuisse, ut reservatis in corpore vulneribus, opus fuerit monitoribus, ut vicem illi in amore reddamus? atramen cum & hos sui in nos amoris testes Salvator addere voluerit, nunquid rectè Paulus? ^{1. Cor. c. 16 v. 22.}
si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit

R

ANA-